



10.

9. D. B. V

1732

23

27

DISSERTATIONIS ACADEMICAE
 QVA
 NECESSITAS REVELA
 TIONIS DIVINAE
 A PRIORI DEMONSTRATUR
 SECTIO PRIOR
 SISTENS PRINCIPIA

QVAM
 SVB PRAESIDIO

ERNESTI CHRISTIANI
 SCHROEDERI

PHILOS. RAT. ET TRANSCEND. PROF. PVBL. ORD
 PATRONI AC FAVORIS SVI SVMMOPERE COLENDI
 IN ALMA LEVCOREA

D. MART. ANNO M DCC XXXII,
 IN AVDITORIO MAIORI
 PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET
 M. CHRISTOPH. LVDOVICVS
 OBBARIVS
 AVLEB. THVR

VITEMBERGAE, LITERIS SCHLOMACHIANIS



P 529





DE
NECESSITATE REVELATIONIS
DIVINAE
SECTIO PRIOR
SISTENS PRINCIPIA

§. I.



*E*ius *aliquid* *supremum*, impias tamen de Deo, eius perfectionibus,

Xisti Deus. Hocce postulatam, ceu veritatem euictam et indubitam, absque demonstratione assumere licebit. Disputamus enim in praesenti non tam contra Atheorum, Numinis existentiam negantium, turbam, (a) quam contra Naturalistas, Indifferentitas, omnisque generis empectas, qui, licet omnes uno nobiscum ore profiteantur, da-

(a) Exrant innumera fere scripta Philosophorum aeque ac Theologorum, quibus existentia Dei solide demonstrata est adversus Atheos, vid. Ioach. Langgii *Causa Dei*, etc., et, qui instar omnium esse potest, B. Buddeus in *Theol. de Atheismo et Superstit. inprimis*, c. V. conf. etiam Io. Alb. Fabricii *Delectum Argumentorum et Syllabum Scriptorum*, qui veritatem relig. Christ. asseruerunt, c. VII. usque ad XIII., ubi prolixus est in demonstranda existentia Dei, multosque allegat scriptores ac defensores Dei. It. Canzii usus Philos. Leibnitz, in *Theol. inprimis* p. 121. sq. et Bülfinger. *Dilucid. de Deo, anima et mundo*, sect. IV. c. II. p. 416. sqq.

nibus, ac prouidentia, et de religione ac reuelatione fouent sententias. (b)

§. II. *Deus* est Spiritus independens. *Spiritus* est substantia immaterialis, intellectu et uoluntate praedita. *Independencia* est carentia principii, et existentia a semet ipso, *sue*, cum quid propria ui existit.

§. III. Quoniam igitur *Deus* existit a semet ipso, (§. 2.) non potest esse effectus alterius causae. Quicunque non est effectus alterius causae, illius uires ab alia causa non circumferibi aut limitari poterunt, patet ergo, *Deum* habere uires illimitatas, adeoque esse infinitum.

§. IV. *Deus* est substantia cogitans, seu, quod idem est, intelligens, et habet intellectum et uoluntatem. (§. 2.) *Deus* est substantia immaterialis. (§. 2.) Substantia immaterialis omni caret compositione, hinc neque habet partes extra partes, *Deus* igitur omni caret compositione, puta reali et physica.

§. V. Quicquid caret compositione reali et physica, illud est ens simplex, cum igitur de *Deo* ita subsumendum sit, (§. 4.) manifestum est, quod eius intellectus et uoluntas non realiter et physice differant, differunt igitur tantum logice et secundum nostrum concipiendi modum, in se autem, et uti in *Deo* sunt, omnia sunt unum idemque.

§. VI. *Deus* habet uires illimitatas. (§. 3.) *Deus* habet intellectum et uoluntatem. (§. 4.) Ergo *Deus* habet intellectum illimitatum et uoluntatem illimitatam, siue infinitam.

§. VII. *Omniscientia* est distinctissima omnium omnino possibilem cognitio, cur scilicet et quomodo talia sint: talis uero cognitio supponit intellectum infinitum. *Deus* habet intellectum infinitum. (§. 6.) E. *Deus* est omniscius.

§. VIII. *Omnipotentia* est facultas omnia ad actum deducendi, quaecunque lubet. Sed haecce qualitas repugnat essentiae uoluntatis finitae, solus igitur *Deus*, qui uoluntate gaudet illimitata, (§. 6.) est omnipotens.

§. IX.

(b) confer. Fabricius l. c. c. XX. et XXIII. et B. Wernsdorffius de Indifferentissimo Religione, Fectui Hist. Theol. Indifferentisticae.

§. IX. Deus est omniscius, (§. 7.) Quicumque est omniscius, ille de omnibus rebus habet distinctissimas ideas, (c) idea distinctissima supponit cognitionem accuratam omnium minimorum, et notionum partialium alicuius rei. Quicumque igitur omnia sibi distinctissime repraesentat, errare, i. e. fallere aut falli non potest, sed cognoscit res, uti in se sunt, et rerum etiam relationes ad se inuicem. Quicumque rerum ad se inuicem nouit relationes, eo ipso etiam scit, quaenam media fini suo sint accommodatissima, adeoque optima, (per defin.) potest igitur semper connectere cum finibus optimis media optima, quod dicitur *sapientia*. Deus igitur omniscius non potest non simul esse sapientissimus.

§. X. *Voluntas* est inclinatio uersus bonum, utcumque cognitum. Deus immunis est ab errore, et omnia sibi distinctissime repraesentat, (§. 9) nunquam igitur, quicquid bonum est, iudicat esse malum, aut, quicquid malum est, iudicat esse bonum ex quo consequitur, *Deum semper uelle bonum, nunquam malum*.

§. XI. *Bonum* est, quicquid nos nostrumque statum perfectiorem reddit, *malum*, quicquid statum nostrum imperfectiorem reddit. Bona quaedam sunt limitata Bona limitata certo respectu sunt imperfectiones, admittunt enim perfectius, scilicet illimitatum bonum, *E. dantur gradus bonitatis*.

§. XII. Deus est omniscius, (§. 7.) et omnia sibi distinctissime repraesentat. (§. 9.) E. etiam de bono et gradibus bonitatis (§. 11.) habet distinctissimas ideas, cognoscit igitur summum bonum. *Summum bonum* est summus gradus perfectionis, uel potius *complexus omnium perfectionum possibilium*. E. Deus cognoscit id, quod ipsum eiusque statum perfectissimum reddit, seu omnes perfectiones possibiles.

§. XIII. Deus est omnipotens, (§. 8.) et habet uoluntatem illimitatam. (§. 6.) *Voluntas* appetit semper bonum, ab intellectu pro tali iudicatum. (§. 10.) Deus cognoscit summum bonum, et omnes perfectiones possibiles, (§. 12.) uult igitur etiam summum

A 3

bonum,

(*) Ideae confusae oriuntur ex impotentia dignoscendi et discernendi a se inuicem characteres speciales, et partes minimas alicuius rei, haec uero impotentia oritur ex limitatione uirium.

bonum, omnesque perfectiones possibles: quia uero est omnipotens, nemo uoluntati eius resistere potest, E. efficit, quicquid uult. Cum itaque Deus uelit summum bonum, possidet etiam illud, adeoque est perfectissimus.

§. XIV. Felicitas est possessio summi boni, seu omnium perfectionum possibilium, quarum subiectum capax est, aut, si malis, felicitas est status durabilis gaudii. Gaudium est sensatio grata, orta ex praesentia boni alicuius. *ἡράδεια*, siue mentis tranquillitas est laetitia ob perfectam felicitatem, siue gaudium ortum ex perceptione summae perfectionis, quam possidemus.

§. XV. Deus est perfectissimus, (§. 13.) et gaudet ideis distinctissimis, (§. 9.) cognoscit ergo ac sentit, se habere summas perfectiones. *Habet igitur gaudium.* (§. 14.) Ille non habet summas perfectiones, cuius gaudium non est durabile: Deus igitur, cum sit perfectissimus, habet perpetuo durabile gaudium, E. est felicissimus. (§. 14.) Cumque Deus cognoscat se esse felicissimum, est simul *ἡράδεις*, adeoque felicitatem habet in semet ipso.

§. XVI. Sanctum est perfecte bonum. Sanctitas est, qua quis nil nisi bonum uult, quicquid uero malum est, auersatur. Ad bonum eligendum praerequitur cognitio obiecti (§. 10.) Voluntas semper bonum appetit, et impossibile est, ut quis possit appetere malum, quod esse malum certo cognouit: num quis enim potest uelle maiorem statum sui imperfectionem, et per consequens tandem sui ipsius destructionem? Causa igitur, cur homines tam frequenter, imo fere semper, malum appetant, est, quia nempe obiectum, eiusque notiones partiales, et partes omnes minimas, minus distincte sibi repraesentant. Quicumque enim rem sibi non distincte repraesentat, ille habet de obiecto obscuras, saltem confusas ideas, ex his oritur error. E. causa omnis mali sunt obscurae et confusae ideae. Quicumque uero malum appetit, non dici potest sanctus, E. *solus ille absolute sanctus est, qui omnia sibi distinctissime repraesentat.*

§. XVII. Deus sibi omnia distinctissime repraesentat, (§. 9.) cognoscit ergo res omnes possibles, uti in se sunt, nec unquam fallere aut falli potest. Deus igitur ne minimum quidem uelle potest malum, nam et minima mala distinctissime cognoscit: uult ergo

ergo ac efficit non nisi bonum, et malum omne ac semper auerfatur, *E. Deus est sanctissimus.*

§. XVIII. *Iustum in genere* dicimus, quando quis secundum ius uiuit, seu, quando quis uiuit, sicut debet. *Ius* est regula, secundum quam uitam nostram actionesque instituere debemus. Ius igitur esse debet bonum aliquod, uel medium, acquirendi bonum, aut conseruandi, et dicitur alias *lex*. Finis igitur iustitiae est perfectio iusti aliorumque aut obtinenda, aut conseruanda, aut augenda. Quicumque igitur iuste agit, non potest non eligere bonum, et auerfari malum.

§. XIX. Deus, quia est sanctissimus, eligit et uult nil nisi bonum. (§. 17.) Actio bona, legi et normae conformis, dicitur iusta. (§. 18.) Lex, quia est uoluntas superioris, obligans inferiorem, proprie non cadit in Deum, quia tamen Deus ob sanctitatem suam necessario eligit bonum, neque libertatem habet circa electionem boni uel mali, nos concipimus sanctitatem Dei, tanquam legem Dei. Hinc canon: *Deus sibi ipsi lex est.* Quando igitur Deus agit sanctitati suae conuenienter, dicitur agere iuste. *E. Deus est iustus.*

§. XX. *Iustitia Dei* est, quando Deus agit sanctitati suae conuenienter. (d) (§. 19.) E. sanctitas et iustitia Dei, secundum nostrum concipiendi modum, non aliter differunt, nisi ut causa et effectus, siue, ut actio et norma agendi, *E. iustitia Dei nil aliud est, quam effectus sanctitatis.*

§. XXI. Ad omnem veram libertatem requiruntur tria: 1) cognitio distincta obiectorum, 2) contingentia actionis, et 3) spontaneitas. (per exper.) Ex his igitur requisitis hanc *libertatis* struimus definitionem, quod sit *facultas secundum rationes agendi*, aut si eam mauis definire per *facultatem, ex pluribus sponte eligendi optimum*, nos non refragabimur. *Ratio* in genere est id, ex quo intelligi potest, cur aliquid potius sit, quam non sit, siue, ex quo intelligitur nexus rerum inter se, et relatio causae et effectus ad se inuicem. *Intellectus* est facultas perspiciendi rationem, seu nexum rerum.

(d) conf. Hebenstreit. *Philos. Prima*, p. m. 1164. Sybii *Instit. Philos. Prima*, p. m. 42.

rum inter te. Patet igitur, libertatis subiectum esse ens intelligens, eamque proprie referendam esse ad intellectum, quamvis, si recte explicetur, in sensu laxiori uoluntati non omnis plane deneganda sit libertas.

§. XXII. Quicumque nexum rerum non introspicit, ille non habet ideas distinctas, sed confusas. Libertas uera praesupponit cognitionem nexus rerum, (§. 21.) quicumque igitur agit secundum repraesentationem confusam, non uere libere agit, E. ille demum uera gaudet libertate, qui de obiectis actionum distinctas habet ideas, et nexum rerum introspicit, adeoque semper optimum eligere potest.

Obseru. Ex dictis constat, libertatem, proprie et strictim loquendo, non pertinere ad uoluntatem, uoluntas enim non potest agere contra repraesentationem ultimamque iudicium intellectus. Et id ipsum est necessitas moralis, quae uero non tollit libertatem, sed necessitas tantum physica et interna. Aut igitur errat Syrbius, aut per necessitatem internam subintelligit moralem, quando, *Tantum abest*, ait in Instit. Philos. Prim. p. 183. *ut necessitas interna libertatem tollat, ut confirmet potius*, uid. si placeat, Cl. Schlosseri Diss. de genuina libertatis notione, sub Praesid. Dn. Schroederi, Praesidis mei Honorat., habita Vittenbergae, thes. XXIV. et XXVI, et Feuerlini Diss. de libertate mentis hum. et supremi Numinis.

§. XXIII. Deus est omniscius, (§. 7.) et sapientissimus, (§. 9.) necesse est igitur, ut omnia sibi distinctissime repraesentet, omniumque rerum possibilium introspiciat nexum et rationes. Insuper in Deo est independentia absoluta ab omni principio externo, E. Deus, dum agit, agit libere. At Deus est sanctus, et uult necessario non nisi bonum, (§. 17.) et quidem summum, (§. 13.) Quomodo potest libere agere? Cum igitur Deus sit perfectissimus, (§. 13.) unam attributum Dei non potest contrariari alteri, sed omnes Dei perfectiones amicissime inter se conspirant, (*per defectum*) hinc patet, non pugnare inter se esse ens liberum et tamen necessario (necessitate morali) semper uelle bonum, sed summam potius libertatem consistere in eo, quando quis semper cognoscit

et

REVELATIONIS DIVINAE.

et uult optimum (e) E. Deus agit liberrime, dum semper uult et efficit optimum.

Obseru. Ex dictis constat a priori, quare homini irrogenito omnis deneganda sit libertas, siue liberum arbitrium in spiritualibus. Sane, si liberum arbitrium primario referendum est ad uoluntatem, absolum mihi uidetur, uelle illud denegare et diabolis, nedum hominibus. Quis enim, quaeso, sibi imaginari potest, creaturam rationalem uelle posse malum, ut malum, aut auersari bonum, quod cognoscit et in se et sibi esse bonum? nonne haec pugnant cum natura entis intelligentis? Sola igitur ignorantia rerum spiritualium, et incapacitas, ea ex uiribus propriis cognoscendi, in causa est, quare homo sibi relictus nullum habeat in spiritualibus liberum arbitrium: peccatorum enim sensu et conscientia perterritus, sentit Deum sibi maxime iratum, et cui satisfactionem, sibi impossibilem, praestare teneatur; auersatur igitur Deum, a quo nulla sibi amplius expectanda esse bona credit. Felicitatis uero cupidus, dum illam extra Deum quaerit, magis magisque a Deo rebusque diuinis abalienatur, et stilo Scripturae excoecatur. 1. Cor. II. 14. Rom. VIII. 7. Eph. IV. 18. 1. Thess. IV. 5. Rom. I. 21. seqq.

§. XXIV. *Amor* in genere est gaudium, ortum ex representatione rei gratiae, siue boni alicuius et perfectionis; uel *amor* est pronitas animi, ex perfectionibus alicuius uoluptatem capiendi. (*f*) *Odiu* est auersatio imperfectionum, seu mali. *Indifferentia perfectioni aequilibrii*, *Gleichgültigkeit*, est aequalitas perfectionum, seu potius cognitio aequalitatis perfectionum in diuersis obiectis, siue, quando in duobus uel pluribus obiectis aequales deprehendimus

B

perfe-

(e) Libertas arbitrii non necessario requirit facultatem peccandi, libertas enim peccandi non pertinet ad perfectionem, sed imperfectionem, uid. Ioh. Henr. Possewitz. *Metaph. Theol.* P. III. c. I. reg. XIII. V. 2. p. m. 314. coll. p. 306. Et *libertatis natura non consistit in indifferentia ad bonum et malum, sed in indifferentia ad opposita, b. e. ad agendum uel non agendum, ad agendum hoc uel illud.* uid. Roesler. *Diff. Acad. de libert. hom.* Part. Postter. §. 6. p. 11.

(f) Amor est appetitio boni absolute spectati, uid. Hebenstreit. *Philos. Prim.* p. 1075.

perfectiones. In quocunque enim animaduertimus praepodium perfectionum, illud amare debemus; in quocunque autem cernimus nullas uel minores perfectiones, illud aut nos odisse aut uilipendere necesse est. Quicquid uero tot habet perfectiones aut imperfectiones, quam alterum, id nobis indifferens est. Ratio est desiderium perfectionum, et inde proficiscens felicitatis, cuiuslibet commune.

§. XXV. Nemo sana mente praeditus negabit, *dari omnium rerum rationem sufficientem*, seu dari rationem, cur aliquid potius sit, quam non sit. E. dantur fines rerum. Ens sapiens nil agit sine fine et ratione sufficiente. *Optimum* dicitur, quod meo fini est conuenientissimum. siue, quod statum meum reddere potest perfectissimum. Ens sapiens semper eligit optimum, sed non dantur duo optima, in se perfecte talia, E. etiam in ente sapienti non locum habet indifferentia perfecti aequilibrii. Quia tamen saepissime multas deprehendimus res, in quibus aequales inuenimus qualitates et perfectiones, adeoque nos habemus indifferenter erga illas, causa quaerenda est aut in corruptione intellectus nostri, aut in finitudine eiusdem, propter quam non possumus omnia minima in omnibus rebus discernere. Cum uero Deus sit omniscius ac sapientissimus, et omnia possibilis sibi distinctissime repraesentet actu simultaneo, adeoque omne, uel minimum, cernat perfectionum discrimen, sequitur, quod *in Deum cadere non possit indifferentia perfecti aequilibrii.*

§. XXVI. Re uera dantur perfectiones et imperfectiones. (per exper.) Deus omnes perfectiones et imperfectiones distinctissime cognoscit, et uult non nisi bonum. (per demonstrata) Quicquid Deus uult, efficit etiam ui omnipotentiae suae, E. possidet omnes perfectiones. Ex sensu perfectionum oritur gaudium, (§. 14.) et amor, (§. 24.) E. *Deus habet amorem.* Cognoscit etiam, et aueratur imperfectiones ac mala, E. *habet etiam odium.*

§. XXVII. Obiectum amoris sunt perfectiones, nunquam imperfectiones, qua tales. (§. 24.) Deprehendimus uero perfectiones aut in nobismet ipsis, aut in aliis, E. amamus uel nosmet ipsos,

ipfos, uel alios. Quo maiores sunt perfectiones, eo maior etiam est amor. Deus amat, et quidem perfectiones, (§. 26.) deprehendit uero tantummodo in se perfectiones, absolute tales, et quidem summas, (§. 13.) E. se amat, et quidem amore intensissimo: et quia extra eum non dantur perfectiones absolute tales, amat se super omnia. E. ultimus finis omnium actionum suarum est amor sui ipsius.

§. XXVIII. Demonstrari etiam hoc potest hac ratione: Omne ens uult perfectionem sui. E. ultimus finis omnium actionum entis intelligentis est felicitas, seu summa perfectio, cuius capax est. Perfectio aut obtinenda, aut obtenta, parit amorem, (§. 24.) perfectio summa, summum amorem. (§. 27.) E. felicitatem nostram, seu summam, cuius capaces sumus, perfectionem, amamus super omnia, E. felicitas est finis ultimus, quo ens intelligens omnes dirigit actiones. Ens sapiens, quicquid agit, agit propter finem ultimum, E. omnes actiones entis sapientis tendunt ad felicitatem.

§. XXIX. Finis ultimus aut est in nobis, aut extra nos, aut obtentus iam, aut adhuc obtinendus. Si extra nos, cupimus illum obtinere, et actiones nostrae sunt media ad illum obtinendum. Si in nobis est, et iam obtentus, possidemus illum aut dependenter ab alia causa extra nos, aut independenter, a nobismet ipsis. Si dependet ab alia causa extra nos, actiones nostrae eo tendunt, ut illum conseruemus: si uero felicitatem possidemus independenter ab alia causa, finis actionum neque obtinenda felicitas, neque conseruanda esse potest. Cum uero finis ultimus omnium actionum entis intelligentis sit amor sui ipsius, siue felicitas, nullus alias finis actionum excogitari potest, quam ut ens intelligens, habens felicitatem a semet ipso, suam aliis demonstraret felicitatem & perfectiones.

§. XXX. Deus omnes possidet perfectiones independenter et actu, (§. 13.) E. est immutabilis. Quicquid est immutabile, illud est aeternum et necessarium. Possessio perfectionum parit gaudi-

gaudium, possessio aeterna statum durabilem gaudii, E. Deus felicitatem suam habet in se, et est *ἀγαπή*. (§. 15.) Finis itaque actionum eius (subintelligo *actiones ad extra*) est neque perfectio obtinenda, neque augenda, neque conseruanda. E. *ultimus finis omnium actionum eius est amor sui ipsius, proximus uero est demonstratio perfectionum suarum.*

Haec sunt ista principia, quae firmo nobis niti videntur talo, et quibus totum superstruemus de *Reuelationis diuinæ necessitate* demonstrationis negotium. Faxit Deus, ut felicitet. Caeterum quam foecunda sint haecce principia, quam amice conspirent cum tota coelesti doctrina reuelata, quamque egregium usum praestare possint in refutandis et conuincendis ueritatis coelestis aduerfariis, peculiari fortassis tractatu, contra Dippe- lium, si Deus uires uitamque concesserit, breui demonstratum dabimus.



Wittenberg., Diss., 1732

VD 18


ULB Halle 3
004 574 621



50-706

Nov. 10. 9. Sh. u. v. K. u. f.







B.I.G.

Farbkarte #13

10.

1732 23 27

DISSERTATIONIS ACADEMICAE
QVA
NECESSITAS REVELA
TIONIS DIVINAE
A PRIORI DEMONSTRATUR
SECTIO PRIOR
SISTENS PRINCIPIA

P 529

QVAM
SVB PRAESIDIO
ERNESTI CHRISTIANI
SCHROEDERI
PHILOS. RAT. ET TRANSCEND. PROF. PVBL. ORD
PATRONI AC FAVORIS SVI SVMMOPERE COLENDI
IN ALMA LEVCOREA
D. MART. ANNO M DCC XXXII,
IN AVDITORIO MAIORI
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET
M. CHRISTOPH. LVDOVICVS
OBBARIVS
AVLEB. THVR

VITEMBERGAE, LITERIS SCHLOMACHIANIS

